

V C
3164



2 h.



h. 29, II.

Vc
3164

T H R E N O L O G I A
I N E X E Q U I I S

*Serenissimi ac Potentissimi Principis
ac Domini*

D. CHRISTIANI II.

**DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ
CLIVIÆ, BERGÆ, S. ROM. IMPERII
Archimarschalli & Electoris, Landgravii Turin-
giæ, Marchionis Misniæ, Burggravii Magdebur-
gensis, Comitis Marchæ & Ravenspurgi,
Dynastæ Ravensteinii,**

*DRESDAE piè in Christo defuncti Anno
M. DC. XI. XXIII. Junij.*

In publico Academiae SALANÆ con-
fessu habita Nonis Sextil.

AB

ELIA REUSNERO LEORINO
Academiae ProRectore.

Cum aliquot EJUSDEM

**BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA**

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.





SERENISSIMIS CELSISS. 2.

Principibus ac Dominis

D. JOHANNI GEORGIO

S. ROM. IMP. ARCHIMARSCHALLO
ET SEPTENVIRO

ET

D. AUGUSTO

Fratribus Germanis,

DUCIBUS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,
BERGÆ, LANDGRAVIIS TURINGIÆ,
MARCHIONIBUS MISNIÆ, &c.

PATRIÆ PATRIBUS OPT. MAX.

ECCLESIAË ET SCHOLARUM

Nutritiis Munificentissimis

NÆNIAN hanc FUNEBREM

*Communis mœroris luctusq; symbolum,
publici & privati obsequii
monumentum*

D. D. D.

ELIAS REUSNERUS LEORINUS,
Histor. & Poët. Prof. Pub.





In eorundem Principum nomina,
DISTICHA ANAGRAMMATICA.

I.

JOHANNES GEORGIUS DUX
 SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, BERGÆ,
 IMPERII ROMANI ELECTOR.

*Eja tuo, bone Dux, vigila regno, Imperii lux,
 Eja heros acer, religionis amans.*

II.

AUGUSTUS DUX SAXONIÆ,
 JULIÆ, CLIVIÆ, BERGÆ, LAND-
 GRAVIUS TURINGIÆ, MARCHIO
 MISNIÆ.


*Vive diu eja age, magna tuis lux, dux bone
 CHRISTI,*

Vive, vige eja sacra religionis amans.

E. R. L.

A 2

CHRISTO



CHRISTO SOTERIS.

SERENISS. POTENTISS. 2. PRINCIPI
AC DOMINO

D. CHRISTIANO II.
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ,
CLIVIÆ, BERGÆ, S. ROM. IMP. ARCHI-
MARSCHALLO ET ELECTORI, LANDGRA-
VIO THURINGIÆ, MARCHIONI
MISNIÆ &c.

PRINCIPI

RE ET NOMINE CHRISTIANO
PATRI PATRIÆ OPT.

RELIGIONIS, JUSTITIÆ, FIDEI, PACIS
ASSERTORI ATQUE VINDICI
FORTISS.


ECCLESIARUM ET SCHOLARUM
PATRONO ET EVERGETÆ
BENIGNISS.


MORTE PRÆMATURA PRÆREPTO
XXIII. JUNII, AN. SAL. M. DC. XI.
HEROI INCOMPARABILI

SALANA MOERENS

AD PUBLICI LUCTUS SOLATIUM
HOC MON. P.

PRO-


P R O R E C T O R E T S E N A -
T U S A C A D E M I Æ J E N E N S I S
 L. S. D.


 Uod propter peccata terræ multi sint Principes; id verò præter Salomonem Regem illum Regum & sapientissimum omnium, quotquot unquam vixere, mortalium, fatalis quædam harum Provinciæ calamitas intra brevissimi temporis spatium vice ter repetitâ magno cum incolarum malo, ad quod tamen multi cœcutiunt, satis superque demonstravit. Vix novennium abiit ab eo tempore, quo rebus humanis exemptus est FRIDERICUS WILHELMUS Dux & Pro Elector Saxonix; at, ô bone DEUS, qualis & quantus Princeps! quâ pietate, quâ æquitate, quâ moderatione, quâ *Φιλανθρωπία*, quâ tolerantia, quâ bonarum literarum, quarum summus erat Patronus, peritia! quem nisi fata nobis invidissent: Academia nostra, cujus fortunam rudentibus alligatam esse videmus, dudum vel tenacissimis firmata anchoris, vel in portum subducta fuisset. Hunc Fratrem suum triennio post in ætatis flore subsecutus fuit JOHANNES Princeps optimus, & rei benè gerendæ cupidissimus: quem ut demortuum multis cum lachrymis omnes subditi profecuti fuerunt: ita defuncti memoriam singulari cum benevolentia conservant, cum ob alia benè merita, tum verò maximè, quod unâ cum reliquis Filiis indolis eximix pueris & adolescentulis generosissimis, JOHANNEM ERNESTUM, Illustrissimum Principem, & Academia nostræ Rectorem Magnificentissimum, qui non tantum exæquabit majores suos, sed etiam exuperabit, omni virtutum genere, successorem & hæredem reliquit. His verò diebus præter expectationem nostram in vivis esse desit. (quod jam famâ publicâ per omnem percrebuit Germaniam.)

P R O G R A M M A

Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus Dn. CHRISTIANUS II. Sacri Imperii Archimarschallus & Elector, Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Bergae, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Burggravius Magdeburgensis, Comes Marchiae & Ravenspurgi, Dominus Ravensteinii: qui has terras tutorio nomine haecenus feliciter administravit: Dominus noster, quod non moris & dicis causâ scribimus, sed jure meritoque possumus affirmare, longè clementissimus: cujus obitu quantum vulnus, & nostrâ quidem culpâ, non hæc saltem regiones, quarum caput ille fuit, sed etiam totum Imperium acceperit; utinam sentiremus omnes, & seriò deploraremus. Hoc in Principe longè plura sita fuere, quàm deprehendere potuerunt homines malevoli: qui, quæ in aliis bona sunt, ea ὄφθαλμοῦ οὐκ ὄρατες oculis præterire; quæ mala, in illis ἀτενίζοντες visum defigere solent, & ex muscâ elephantem facere: non absimiles iis, qui in lunæ maculis acutum cernere velint, & ejusdem ad sideris fulgorè profus caligare. Naturæ beneficiò bonus & moderatus erat, clemens & placidus, & ab omni tyrannide, quæ tamen sub augustæ Majestatis & severitatis specie nullibi ferè non rerum potitur, alienissimus: quàm ejus χρηστότητα plurimùm auxit Illustrissimi Principis ac Domini Dn. FRIDERICI WILHELMI, quem Tutorem & quasi Magistrum habuit, singularis bonitas, morumque sanctimonia, & vitæ innocentia. Quamvis igitur ex instituto Bullæ aureæ, quæ non Imperatoriâ saltem auctoritate, & diuturnitate temporis, sed etiam rationibus magni momenti dubio procul nititur, rem capesseret publicam, natus jam annos non nisi octodecim: quæ ætas, cum, quod ait Aristoteles, κατὰ τὴν φύσιν vivat, & imperita sit actionum vitæ, rebus gerendis minimè apta esse videtur: tamen omnium vicit expectationem: & plura se in recessu habere, quàm primâ fronte pollicebatur, testatum fecit. Religionis, quæ omnis reipublicæ fundamentum est, ita curam egit: ut, dum vixit, nihil turbarum nostris in-

Eccle-

P R O G R A M M A

everfa, & illa quidem firmissima: planè delirant, qui hujus ad-
 ficii molem non nutare putant. Nostræ verò patriæ quantum de-
 trimenti allatum sit, ut vulgus hominum ignorat: ita pruden-
 tiores magno cum dolore sentiunt, & deplorant. Quid igitur
 nostri jam esse officii putabimus, quidnam? Primum nostra &
 agnosceremus & profitebimur peccata: quæ ad veniam prima via
 est, & semita maximè trita. Nos sumus, Ô CHRISTIANE Ele-
 ctor, qui vitæ tuæ fila nostrâ ingratitudine præsecuimus: nos su-
 mus, qui fata tibi acceleravimus: nos sumus, qui tantum his ter-
 ris conciliavimus periculi, & mali attraximus. Tum verò Deum
 Optimum Maximum, qui nihil seipso majus habet, quàm suam
 misericordiam, ardentibus votis precabimur: ut quod vulnus
 serenissimi Electoris obitu nobis inflixit, clementissimè sanare
 velit, & vindictæ gladium oleo commiserationis exacuere.
 Quin & hoc pietatis, & debitæ subjectionis officium nobis incumbit: ut
 non tantum in luctu & mœrore versemur, sed etiam moribus & vita exte-
 riori, quàm hoc inopinato casu animi nostri dejecti sint & exulcerati, de-
 claremus. Capitis dolores & cordis angustia totum corpus tremefaciunt:
 & Principum res adversæ subditos non tangent, non afficient, non percel-
 lent? Quapropter jussu & mandato Illustrissimi Principis ac Domini, D.
 JOHANNIS ERNESTI Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Bergae &c.
 Magnificentissimi D. Rectoris, Domini nostri clementissimi, & utriusq;
 Aulae Regiminum, omnes Academiae nostrae cives fide & diligentia summa,
 qua possumus, hortamur: ut effusam illam, quæ jam passim inolevit, hilari-
 tatem interquiescere sinant: ab epulis & conviviis sibi remperent: exercitiis
 Musicis, quæ suo tempore minimè improbantur, silentium indicant: & in-
 primis à turbis & clamoribus nocturnis prorsum abstineant: & suæ erga
 Illustrissimam Domum Saxoniam, quæ hoc casu planè afflicta jacet,
συνταξίας documentum edant: quod Illustrissimis Principibus gratissi-
 mum, Academiae nostrae honorificum, & nobis ipsis planè fructuosum est
 futurum. Deum oramus, ut nostri misereatur: & turbidam hanc tempe-
 statem, quæ toti Germaniæ impendere videtur, tranquillet: ac sub seren-
 issimo Principe & Domino D. JOHANNES GEORGIO Duce &
 Electore Saxoniae &c. cui rem aggredienti publicam fausta & felicia preca-
 mur omnia, speratam nobis serenitatem, & pacem nunquam desituram,
 clementer largiatur. P. P. die 7. Julij, 1611.

VICE-

VICEPRORECTOR ET SENATUS ACADEMIAE JENENSIS

L. S.



Uemadmodum non absq; singulari Dei providentiâ hominibus nihili, & inutilibus terræ ponderibus, qui tantum numerus sunt, & fruges consumere nati, plerumq; vitam suam & aliorum in perniciem prorogari videmus: ita certum est, mortem ferè sibi optimum quemq; pignerari, secundum illud Poëta:

Optima prima ferè manibus rapiuntur avaris:
Implentur numeris deteriora suis.

Illud vero prius non minus, quam hoc posterius, fortuito & temerè fieri minime putandum est: sed, ut sacra quoque monent, quia jam atatis sue maturitatem si non annis, tamen pietate & virtute, assecuti sunt: quia ferre non potest Deus, ut communi scelerum contagione insciantur: quia malis, quae sunt praeforibus, mature subtrahuntur: & tandem, quia Deus ab illis, quibus ipsi poterant esse praesidio, pœnas improbitatis & ingratitude sumpturus est: ut jam alias, quae colligi facile poterant, causas non attingamus. Et hujus quidem anomalia viduum exemplum nobis ob oculos ponit obitus prematurus Serenissimi Principis ac Domini Dn. CHRISTIANI II. Electoris, & Ducis Saxonie, Juliae, Cliviae, & Berge, Landgravi Thuringiae, Marchionis Misniae, Burggravi Magdeburgensis, Comitum Marchae & Ravensburgi, Domini Ravensteinii, felicissima recordationis: quem atate, opibus, potentiâ, & auctoritate florentem, summoq; conatu veram ad virtutem & gloriam magno cum bono subditorum aspirantem, mors interceptit: & dignum immortalitate rebus humanis exemit. At verò, quotnam tyrannos ferre cogitur orbis Christianus, & illos quidem senescentes; qui non hominum, sed pecudum instar, suos habent subditos, & tam scite tractare possunt: ut vita miseris supplicium sit, & mors solatium: utq; nocturnas larvas & lemures coram aspiciere malint, quam Dominos suos limis saltem oculis è longinquo intueri? Verum in hac divinae Providentiae sacraria nos illatis manibus pedibusq; non irrumperere sinit pietas: sed ea venerari jubet, quae non assequi possumus: & certò statuere; summam Dei sapientiam esse & justitiam firmissimam, & bonitatem inexhaustam adeò quidem: ut nihil faciat omnino, quod non sit optimum, licet ejus opera plerumq; supra captum nostrum sint posita. Illud potius curare decet omnes Serenissimi Electoris subditos: ut ea pietatis officia, quibus defuncto Principi obstricti sunt, fide & diligentia summâ exequantur. Illa verò tria numero sunt potissimum. Primo quidem pia *συμπάθεια*,

B

dolo,

is adi-
m de-
uden-
igitur
tra &
na via
e Ele-
os fu-
ister-
Deum
suam
ulnus
anare
ere,
it: ut
a exte-
ati, de-
aciunt:
percel-
ni, D.
gæ & c.
triusq;
imma,
hilari-
ercitiis
& in-
erga
acet,
ratissi-
um est
empe-
b fere-
uce &
preca-
uram,
CE-

PROGRAMMA PUBLICUM.

dolor acerbissimus, ingens luctus, & lamentabilis tanta calamitatis deploratio: tum verò sepultura honorifica, tantòq; Principe digna: & denique defuncti justa prædicatio, & memoria benevola: quæ si præstiterint, nihil erit, quod in ipsorum pietate, & gratitudine quisquam desiderare possit. Et sanè lachrymis ac querelis his justitii diebus abundè satisfactum esse putamus: & ita quidem satisfactum, ut manifestò appareat, in bonos viros, qui iudicio potius, quàm affectu nudo moventur, non convenire per vulgatum illud: nihil citius, quàm lachrymas arefcere. Exequiæ verò Dresde simul & Fribergæ Principi optimo parantur; & monumenta statuuntur, quæ & augustissimam decent familiam, & Electoris demortui virtutibus respondent, ejusq; memoriam iis in locis ab interitu facile vindicare possunt. Interim verò dum hæc peraguntur: nostrum est, ita justa persolvere CHRISTIANO Principi: ut piis & admonitionibus & votis ejus celebremus parentalia, & vitæ curriculum describamus, ac virtutes & laudes deprædicemus. Hoc autem munere fungentur, primo quidem Vir Reverendus & Clarissimus Dn. Johan. Major, hujus Ecclesiæ Pastor & vicinarum Superintendens vigilantissimus; qui crastino die, in æde sacrâ concionem funebrem habiturus est: quo ut se conferant omnes Academia nostræ cives, & Professores pullatos à Collegio itidem subsequantur: & verba sacris è scripturis facienti devotas aures attenti præbeant, etiam atque etiam hortamur. Tum vero Magnificus D. Prorektor D. Elias Reusnerus Medicinæ Licentiatus: qui ad diem Lunæ horâ IX. matutinâ λόγον Ἰππὸς Φίον copiosum, & eruditum, quâ res, quâ verbâ recitaturus est: quâ ad Panegyrim ut omnes Academici, quos fuga nobis fecit reliquos, confluant, & hoc honoris Serenissimo Electori, qui jam superis est adscriptus, habeant, monemus & rogamus. Quod reliquum est, Deum precamur, ut Illustrissimo Principi ac Domino Dn. JOHANNI GEORGIO Duci & Electori Saxonie &c. Domino nostro clementissimo, qui deinceps rempublicam nostram tutorio nomine administraturus est, afflatu Spiritus sancti, & honorum virorum consiliis ea suggerat omnia; quæ ipsi honori, & toti Patrie salutis futura sunt. In primis autem contagium pestis à nobis abigat: famem mitiget: bellorum motus, & impios milites, qui ille sunt bestie, à quibus hæc ad Septentrionem regiones infestantur, advertat; & ita nobis quietem & halcyonia largiatur: ut omnes, suo quisq; loco, facere, quæ ipsius nomini gloriosa sunt, & generi humano salutaria, possimus. P. P. die 3. Aug. A. O. R. 1611.

THRE-



THRENOLOGIA
IN EXEQUIIS

*Serenissimi & Potentissimi Principis
ac Domini*

D. CHRISTIANI II.

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, &
BERGÆ, &c. S. ROM. IMPERII ARCHI-
MARSCHALLI & SEPTENVIRI

In Academia Salana recitata

AB

ELIA REUSNERO LEORINO

eiusdem ProRectore.



Cerbis lachrymis deplora mortu-
um: & cor tuum vero afficiatur dolore:
signaque ostende luctus, prout illius dignitas po-
stulat: inquit Spiritus sanctus in Siracida Ecclesi-
astico Quis autem, Patres Academici Magnifici, Reverendi,
Amplissimi, Excellentissimi, Clarissimi, vosque ceteri, qui ade-
stis, Auditores nobilissimi & ornatissimi, quis (inquam) capiti
nostro aquam, & oculis fontem dabit lachrymarum? quibus non
miseram impii populi Judaici *πρωλοθεϊαν*, non triste perditæ
urbis Hierosolymæ excidium, sed serenissimi nostri Electoris
CHRISTIANI II. mortis casum defleamus acerbissimum:
quem non solum sesquatribus antè septimanis, tertio die Calen-
darum Junii, horrenda ista tempestas, fulguribus creberrimis

Sir. 38,

B 2

ingemi-

leplo-
que
erit,
sanè
s: &
dicio
nihil
erge
mam
emo-
hac
cipi:
urri-
nere
jor,
asti-
rant
ubse-
ant,
Elias
ina
est:
ant,
mo-
nci-
&c.
no.
nsi.
In-
mo.
gio-
ut
bu-
E-

T H R E N O L O G I A

ingeminans, violentoque fulminis & grandinis jctu vineta-
 passim & agros miserrimè devastans atque pessumdans, porten-
 dit atque denunciavit: sed & coelum ipsum totidem post diebus
 & amplius, imò in hunc usque diem perpetuis obductum nubi-
 bus, jugibusque pluviis madidum, luxit. Quis ergo ad luctuo-
 sissimum hoc Electoris nostri, apoplexiæ turbine nobis erepti,
 fatum non fontes lachrymarum oculis suis profundat? quis tam
 maximum Principem, Sacri Romani Imperii lumen & columnen
 præcipuum, Patrem patriæ optimum, Ecclesiarum & Scholarum
 patronum atque Evergeten munificentissimum, non lugeat?
 quis ob gravissimam istam Reipublicæ Christianæ calamitatem
 non affligatur? quis nostrum tam stupido erit ingenio, tamque
 cæcus, qui non animadvertat, quantam Salana nostra, hoc
 Principe CHRISTIANO Christianissimo amisso, jacturam fe-
 cerit? Qui profectò nisi à beatissimo è vivis excessu JOANNIS
 Ducis Saxonæ, huic provinciæ & his terris tam bene & laudabi-
 liter præfuisse: non tanta virtutis doctrinæque laude floreret
 Musarum hoc tam nobile tamque præclarum domicilium. Nam
 quòd pietatis & doctrinæ præceptis tam fideliter & dextrè ad
 virtutem & beatam vitam informamur: quòd in obeundis mu-
 neris nostri partibus hætenus optato isto otio & tranquillitate
 latâ perfruimur: quòd ornatissimos hosce conventus tantâ ani-
 morum conspiratione atque consensu celebramus: id omne,
 secundum divinam gratiam, optimi hujus Principis immortalis
 beneficio acceptum ferendum est: qui sub tutelâ patrociniæque
 suæ gubernationis justissimæ & æquissimæ salutare nobis hoc oti-
 um fecit: & divinarum atque humanarum artium omnium tam
 jucundum & quasi conspirantem consensum, ab Illustrissimo-
 rum nostrorum Principum majoribus traditum, benignissimè
 & fidelissimè conservavit. Hac tantâ jacturâ, quam hoc Prin-
 cipe amisso fecit nostra Salana, animus meus (ut verum fatear)
 adeo consternatus est: ut vix meas ad dicendum instituere que-
 am cogitationes: qui alioquin, quàm parum in dicendo vel usu

vel

ACADEMIÆ JENENSIS.

vel ingenio valeam, ipsemet mihi optimè sum conscius. Etsi autem tanti Principis laudes universo orbi Christiano satis antea perspectas, tenui impolitæ orationis filo assequi, nedum æquare me posse diffido: quia tamen ab Illustrissimo Celsissimoque Principe ac Domino D. JOANNE ERNESTO Duce Saxonix, Julix, Clivix, Bergæ, Landgravio Turingiæ, Marchione Misniæ, Comite Marchæ & Ravenspurgi, Dynastâ Ravenssteini, Domino nostro Clementissimo & Rectore Magnificentissimo, cujus nec jussa detrectare nec auctoritatem adspernari fas est, publico Academia nomine hæc dicendi imposita mihi est necessitas: ne omnem defuncti memoriam unâ cum exuviis deposuisse videamur: agedum lubens volensque parebo: & supremum hoc pietatis atque gratitudinis, licet peracerbum & triste, officium Principi optimo præstabo: illud interim patris eloquentiæ Romanæ præceptum observaturus: qui ea, quæ ad funebrem concionem scribuntur, ad oratoris & orationis laudem minimè accommodari debere censet. Christianissimum igitur Principem CHRISTIANUM II. Electorem, qui si præsens adesset, nihil nisi verè, nisi modestè, nisi liberè de se dici pateretur, ob oculos mihi quasi obversantem collocabo: ac primum quidem de ortu ipsius & familiâ nobilissimâ paucula disseram: dehinc quoque quæ ejus in regnando fuerit virtus, dicendo breviter perstringam. Quod dum facio, Patres conscripti, tuque reliqua Auditorum corona nobilissima & lectissima: per illum ipsum, cui justa funebria facimus, Principem vos oro atque obtestor: ut orationis meæ, quantumvis inconditæ, cursum aurâ lenitatis atque humanitatis vestræ sublevetis: ut quantum virium in orationis progressu dolor mihi detrahet; tantum animi vestra in me audiendo attentio subministret.

Natus est autem CHRISTIANUS II. Dux Saxonix Elector anno salutiferi Virginis partûs supra sesquimillesimum octogesimo tertio, XXIII. Septembris die, horâ quartâ matutinâ: quem sanguinis nobilitate, quæ secundum Socratem generis est virtus,

”
”
”

Propos

1583.

Generis nobilitas.

B 3

omnes

neta
orten-
liebus
nubi-
ctuo-
epti,
s tam
men
arum
at?
atem
nque
hoc
m fe-
NNIS
dabi-
eret
Nam
è ad
mu-
ate
ani-
ne,
ortali
oque
coti-
tam
mo-
simè
Prin-
ear)
que-
lusu
vel



T H R E N O L O G I A

omnes Regum atque Principum ortus multis superare para-
 sangis, nemini est obscurum. Etenim sive gloriosæ stirpis vetu-
statem, sive avitæ gloriæ hæreditatem consideremus: cæteris
 omnibus WITIKINDÆAM gentem superiorem, antiquissimæ
 cuique parem esse animadvertemus: quæ per tot hominum secu-
 la non tantùm Principes & Duces, sed Reges quoque & Impera-
 tores tulit quàm plurimos: quorum memorabilis & divina vir-
 tus omnium gentiũ literis atq; linguis est decantata & pervaga-
 ta. Nam quid dicam hoc loco de laude præclarissimâ, & famâ
 admirabili virtutum incredibilium, & triumphorum infinito-
 rum HENRICORUM & trium OTHONUM Angusto-
 rum? quorum profectò animi excelsi invictique magnitudo atq;
 robur, & heroica virtus in militiâ, & justitia in pace, adeoque di-
 vina illa regnandi imperandique scientia, plusnè habeat admi-
 rationis quàm gloriæ, affirmare non possum: certè & admira-
 tionis & gloriæ tantum habet: ut laudes horum nulla unquam
 obscuratura sit oblivio. Qui sanè summi Reges atque Principes
 non satis suo se officio & munere regio functos existimarunt: si
 tantùm in rerum publicarum administratione cum laude versa-
 rentur: nisi etiam res divinas summo studio curarent. Sed ne illa
 nimis antiqua longiùs repetamus: revocate quæso vobis A U D.
 paulisper in memoriam FRIDERICOS, Magnanimos illos, Gra-
 ves, & Strenuos Turingiæ Landgravios, & Marchiones Misniæ:
 à quibus ortus FRIDERICUS à virtute industriaque bellica Belli-
cosus cognominatus, non solùm avitum Saxonix Ducum titu-
 lum, ad alias passim familias evagatum, ad legitimos hæredes
 quasi postliminii jure revocavit: sed & Septemviralem digni-
tatem, titulo Saxonico annexam, SIGISMUNDI Cæsa-
 ris beneficio in suam familiam primus intulit. Hujus fi-
 lius *ingenio placidus* FRIDERICUS, *at acer in armis*, post va-
 rios domi forisque exantlatos bellorum casus, cum fratre
GUILLIELMO de ducatu tanquam de summâ rei dimicare co-
 actus; derepentè DEO Principe pacis pacifica ipsius consilia
 ita moderante, per unicum colloquium in gratiam eum reduxit

Majores.

Duos

ACADEMIÆ JENENSIS.

Duos hic ex MARGARETA Austriacâ FRIDERICI III. Imp. sorore germanâ, suscepit filios, provinciarum & regionum suarum hæredes : quorum alter ERNESTUS Elector Princeps

Majestate gravis, comis sermone, benignus

Officio, castus mente, fideq; pius;

cum JOANNE Marchione Brandenburgico tres Reges potentissimos, CASIMIRUM Polonum, LADISLAUM Bohemum, & MATTHIAM Ungarum, Vratislaviæ suâ auctoritate & prudentiâ fregit, inque concordiam redegit. Alter ALBERTUS, Princeps laude & gloriâ bellicâ suo seculo celeberrimus; nomine & adpectu Ungaris, Gallis, Belgis, Frisiis terribilis; (contra hos enim omnes pro duobus Impp. FRIDERICO III. & MAXIMILIANO I. ne Imperii fasces fluctuarent, fortissimè dimicavit) ab invicti animi robore rerumque magnitudine Animosus; ab Imp. FRIDERICO III. suorum Pater, & Custos salutis publicæ; ab Innocentio Pontifice *Dextera manus Romani Imperii*, à milite Belgio *Hercules Germanicus* audit.

1474.

Quid dicam hoc loco de ERNESTI filiis, FRIDERICO Sapiente & JOANNE Constante Ducibus Saxonix Septemviris? quorum ille divinos Megalandri LUTHERI conatus in repurgandâ religione à Pontificiorum fæcibus primus adjuvit; portasq; illucescenti Evangelii doctrinæ aperuit, & hospitium patrociniumque reformatæ Ecclesiæ præbuit: Hic verò cursum atque libertatem Evangelii in tribus Imperii conventibus, bis nimirum Spiræ, & tandem quoque Augustæ coram CAROLO V. Imperatore, cunctisque ordinibus, erecto excelsoque animo atque constantiâ defendit. Quid insignem illam & plane heroicam tuam Dux JOANNES FRIDERICE Elector, commorem magnanimitatem atque constantiam; qui paternæ virtutis atque constantiæ æmulus, maluisti dignitate & fortunis omnibus privari, & exilii captivitatisque perferre ærumnas, quàm Evangelii professionem abjicere, aut in ullo officio, DEO Ecclesiæque ipsius debito, claudicare?

1530.

1547.

Quid

para-
vetu-
teris
ssimæ
secu-
pera-
a vir-
vaga-
famâ
nito-
usto-
o atq;
ue di-
admi-
mira-
nam
cipes
nt: si
erfa-
e illa
U D.
Gra-
fnix:
Belli-
titu-
redes
igni-
Cafa-
us fi-
st va-
tre
e co-
filia
duxit
Duos

T H R E N O L O G I A

Quid tu JOANNES GUILLIELME? qui patre tuo JOANNE FRIDERICO I. Electorali dignitate spoliato, libertate privato, possessionibus exuto, in tantâ calamitate, quæ vel maximos posset frangere animos, ad castra CAROLI V. per medios hostes, matre SIBYLLA comitatus, deprecatum pro eo venisti: Vitebergam, ne cum DEO & fortunâ pertinaciùs pugnaret, victori permisisti; à religione tamen nec Cæsaris abduci promissis, nec deterreri minis potuisti. Quid vos, FRIDERICE GUILLIELME Pro Elector & Dux JOANNES, concordii pectore fratres? quibus virtus vitæ socia, & gloria mortis comes fuit. Quid denique (ut ad ALBERTI *Animosi* profapiam me convertam) prædicem HENRICUM, proavum CHRISTIANI II. Principem religione pium, summo vitæ cum periculo puram Evangelii doctrinam amplexum & professum? Quid MAURICIUM Magnanimum Electorem? cujus nobilitata est in bellis Gallicis, Ungaricis, & Germanicis fortitudo atque industria. Quid dicam de AUGUSTO Electore pientissimo, CHRISTIANI II. avo sanctissimo? qui virtute, consilio, sapientiâ optimos quosque in hac familiâ Principes ita æquavit: ut concordia vinculum, pacis auctor, religionis protector, justitiæ assertor jure optimo audierit. Sed nec tuam CHRISTIANE I. Elector ignoramus pietatem in Ecclesiam & scholas; & quantopere disciplina politica & subditorum tuorum commodum tibi cordi curæque fuerit. Salvete ô divini heroës, ad DEI Ecclesiæque & patriæ hostes excindendos, ad superstitiones Pontificias evertendas, & blasphemias Sacramentarias extirpandas nati, & divinitus nobis donati! salvete sanctissimæ animæ! salvete inquam. Non nego certè vos morte illâ, quam fato debuistis, mortem potius quàm immortalitatem adeptos putabo: neque illustres vestros obitus hac exiguâ naniâ inconditè deflebo. Vivit, vivit inquam vestra virtus, & rerum immortalium gloria: eaque vivet in omne ævum perpetuò. Brevis vita in terris vobis data est: at memoria benè actæ vitæ, immensa, & multis ætatibus ad nos hætenus propa-

gata:

ACADEMIÆ JENENSIS.

gata: neque oblivione eorum, qui sunt, neque reticentiâ posterorum sepeliri unquam poterit: quâ absentes etiam adestis, & mortui vivitis, & muti loquimini, & prædicatione gratorum hominum tanquam in luce positi, nobiscum conversamini. Verum longius recordatio tot & tantorum Principum, & vestra A U D. in me attentè audiendo benignitas, provexit orationem meam, quàm aut opinio tulit aut voluntas mea. Proximum nunc est, ut etiam virtutes CHRISTIANI II. Electoris & disciplinam contemplemur atque dispiciamus.

Anno Christi 1591. 24. Septemb. die, patre CHRISTIANO I. Electore præmaturâ morte huic erepto, à religiosissimâ & pientissimâ matre SABINA, JOANNIS GEORGII Marchionis Brandenburgici Electoris filiâ, octennis in tutelam traditus fuit FRIDERICI GUILLIELMI Ducis Saxonæ ProElectoris: quam ipse pie & planè paterno affectu gessit: omnibusque modis providit; ne præposterè prima illa indoles fingeretur, aut malis artibus imbueretur: sed ut honestis disciplinis ad virtutem & pietatem, omnemque usum civilem informaretur. Itaque nihil in eo desiderari passus est, quod ad mentem ejus excolendam, & ad augendam virtutem pertinere videretur: quippe in quo salutem non modò ipsius Principis, sed populi quoque inclusam esse videret. Quandoquidem tales ferè in regnando sunt Principes: qualis fuit prima illorum educatio & disciplina: quæ fundamentum est totius Reipublicæ, & fons atque radix omnis honestatis: ex quâ virtus, consilium, auctoritas, gravitas, omnis vitæ ornatus ferè oritur, & in vitam promanat mortalium.

Educatio.

Hujus diligentiae fructum CHRISTIANUS II. Elector, ex ephebis ubi excessit, re ipsâ postea comprobavit: facileque declaravit omnibus, se non tam in majorum quàm suis virtutibus habere præsidium: cum genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putent homines sapientes: cumque multò plus ad decus & gloriam conducatur vitæ honestas, & morum pulcritudo; quàm generis nobilitas, & natalium claritas. Quoniam

C

autem

... N N E
... ivato,
... os pos-
... ostes,
... Vite-
... victo-
... nifsis,
... U I I-
... atres?
... id de-
...) præ-
... pem
... ngelii
... Ma-
... s, Un-
... icam
... I. avo
... ofque
... n, pa-
... no au-
... is pie-
... olitica
... erit.
... hostes
... blas-
... nobis
... o cer-
... m im-
... us hac
... ra vir-
... ævum
... benè
... ropä-
... gata:

T H R E N O L O G I A

Virtutes.

autem virtutis omnis duplex esse videtur ratio. quarum alia ad Deum, alia ad homines spectat: utriusque sanè præclara & egregia simulacra in CHRISTIANO II. Electore deprehendimus: utpote qui rectè, neutiquam se beatam & felicem habiturum Rempublicam, existimavit: nisi & virtutem, & religionem, & rerum magnarum cognitionem, veluti felicitatis suæ comites, in totâ administratione adhibuisset.

*Pietas &
Religio.*

Quoniam enim probè à puero instructus erat doctrinæ Christianæ præceptis: solidissimis ejus fundamentis jactis ex Catechesi Lutheri, sacris Bibliis, & libro Concordiæ: deinceps quoque, ubi regni curam suscepit, admirabili pietatis studio flagavit. Nimirum multorum sibi exemplis atque literis persuasum habebat; nihil æquè pertinere ad officium Principis, quàm rerum divinarum curam atq; studium: ac religiosissimum quemque, cultusque divini observantissimum, DEO esse gratissimum, & in regnando felicissimum. Ac proinde non modò ipse DEUM Trinunum magnâ animi religione coluit: & sacrosanctam ejus doctrinam summâ fide & constantiâ est amplexus: verùm etiam iis, quibus præfuit, sanam eam atque integram & ab omni errore puram tradidit: & in omni vitâ factam tectam conservavit atq; propagavit. Tenuit enim veram illam & certam sanctissimæ religionis nostræ sententiam: quæ firmiter credit atque statuit, fidem in CHRISTUM fundamentum quoddam & veluti instrumentum esse humanæ justitiæ: quæ iram sedet divinam: quæ offensas condonet: quæ mortalium illuminet animos: quæ virtutes ex se pariat sanctas & DEO placentes; quæ deniq; salutem, & regni cœlestis immortalem felicitatem impertiat credentibus, ex amplitudine gratiæ & misericordiæ divinæ: sine quâ nihil sanctum aut justum: nihil religiosum aut cum virtute conjunctum esse dicere queat. Super hoc ergo fundamentum, tanquã super petram & rupem firmissimam, suarum pupillorumque Principum ditionum exædificavit Ecclesias: easq; contra omnes hostium impetus, adeoque contra ipsas inferorum portas per-

petuis

ACADEMIÆ JENENSIS.

petuis quibusdam fulcris communivit: viris doctis & piis, quorum spectata erat fides & religio, in consilium adhibitis. Nec satis ipsi fuit, suos solummodò subditos sincerioris religionis doctrinâ, à sordibus Calvinianis & fœcibus Sacramentariis repurgatâ, imbui: sed & Bohemiæ Statibus, Pontificio jugo pressis, liberum religionis exercitium impetravit. Jubet nimirum pietas salutares Israelis fonticulos, ab impiis Diaboli mancipiis obstructos, referare; & Ecclesiam Christi propagare: jubet deinde Christiana caritas oppressis succurrere, & manum auxiliatricem porrigere, atque ita humanæ societati consulere. Nec enim quidquam tam secundum naturam est, quàm juvare consortem naturæ: idque multò magis, si ejusdem sit religionis: cujus unitate & veritate magis sociantur gentes, quàm aut juris alterius communione, aut fœderis pactio. Quemadmodum ergo vita, ita quoque mors optimi nostri Electoris pia Deoque fida permansit: quippe qui moribundus summâ animi devotione DEI Opt. Max. clementiam misericordiamque imploravit: summâque spe & fiduciâ spiritum ipsi suum commendavit: inq; solâ DEI gratiâ & favore, & in preciosissimo JESU CHRISTI merito atque *λύτρω*, omnem triumphum victoriæ de malo genio collocavit. Non igitur dubium, Electorem CHRISTIANUM II. tam sanctæ tamque religiosæ pietatis officio, ex hac misera hominum turbâ, tanquam à vasti maris tempestate, in cœlestem illum & tranquillum æternæ beatitudinis portum, translatum; divinâ jam frui vitâ & sempiternâ gloriâ: pro caduco hoc & mortali regno consortem factum regni cœlestis atq; immortalis: & in civitate DEI æterni æternū civem adscriptum: in qua, secundum Apostolum, DEUS est omnia in omnibus: & in qua DEUM revelata facie contemplari licet: quo nihil rerum omniū divinius aut præstabilius esse vel cogitari potest.

Atque hætenus quidem de pietatis in DEUM officiis, quæ in Electoris nostri virtutibus, veluti insignis illa gemma in Aaronis pectore, enituit, breviter dixisse sufficiat: quæ cum fons sit

1607.

T H R E N O L O G I A

omnium aliarum virtutum, quibus mutua inter se hominum officia diriguntur: minimè in ipso fuit solitaria, & suis quasi administris comitibusque destituta. Nam & præter religionem aliæ quoque in hoc Principe fulserunt virtutes: de quibus ut deinceps dicamus, res ipsa postulare videtur.

Prudentia.

Ac primùm quidem fuit in CHRISTIANO Electore magna & admirabilis animi *prudencia*: quæ dux est & moderatrix reliquarum omnium virtutum: in quâ continetur omnis hominum communitas, & societas inter ipsos: quæ si præstò est in Republicâ: totam administrationem efficit felicem & tranquillam: quam publica & privata consequitur utilitas, & Principis fiducia atque securitas, & subditorum amor atque benevolentia: & denique ad eos ipsos, eâ qui præditi sunt, laus, honos, dignitas confluit: quæ res omnium maximæ & laudatissimæ habentur. Sic igitur CHRISTIANUS Elector in rebus deliberatè provideque agendis omnibus tantam adhibuit diligentiam: ut non modò optima secum consilia subitò & ex tempore inveniret: & tanquam ex speculâ res provideret futuras: sed omninò talem se in imperio gereret: qualem oportet esse eum, qui rectè imperare, & regnum suum vult beare. Neque enim facilè agere aut suscipere quidquam fuit solitus, cujus causam probabilem reddere non posset: & ad ea eligenda, dubitationem quæ afferrent, viros adhibuit sapientes, rerumque usu præstantes: ut, quid de unoquoque officii genere iis placeret, inquireret: & quid faciendum fugiendumve esset, tutius sequeretur. Quoniam enim nullum majus boni imperii est instrumentum, quàm bonus amicus & fidus Consiliarius: ideo Senatam in Curiâ suâ, quoad vixit, aluit præstantissimorum virorum: quos consiliorum suorum atque laborum haberet socios: quique & sapientiâ suam augerent animum, & virtutis apud alios opinione. Etenim, auctore Tullio, non viribus aut velocitatibus aut corporum celeritate res magnæ geruntur: sed consilio, & auctoritate & scientiâ.

Verùm

ACADEMIÆ JENENSIS.

Verum quoniam omnis scientia, à JUSTITIA quæ est remota, non solum infirma, sed etiam perniciofa est; ac ne quidem sapientia appellanda, sed versutia potius & calliditas: ideo CHRISTIANUS Elector prudentissimus minimè se sapienter imperaturum existimavit: si non justè quoque ac legitimè in Republicâ versaretur. Utiq; enim Justitia fulcrum quoddam est & firmamentum imperii: sine quo Respublica totaque societas & communitas humana constare nullo modo potest. Et hæc virtus in hoc Principe mirificè refulsit: & tanquam vesperugo aut aurora in reliquo stellarum choro resplenduit. Nam sive fidem ejus consideres religionemq; in observandis legibus: sive æquitatem in jure dicendo: sive æqualitatem in præmiis & pœnis distribuendis: nemo hoc Principe unquam justior esse videtur. Leges omnes, quas in suâ tulit Republicâ, ad justitiæ & æqualitatis libram ponderavit: & in his subditorum salutem in primis spectavit: quò pax inter eos, & æqualitas, summâ cum benevolentia & consensione animorum constaret: & convenienter in hac civili societate viveretur naturæ atque legibus.

Neque verò solum subditis suis, verum etiam sibimetipsi, ex æquo imperare voluit leges: non ignarus rescripti illius Theodosiani: quòd, etsi Princeps legibus quodammodo superior esse datur; minimè tamen incivile sit, legibus eum vivere: cum ea demum felix censenda sit Respublica, in quâ & subditi magistratibus & magistratus ipsi parent legibus. Luculentissimum hujus rei testimonium CHRISTIANO nostro Electori perhibet justissimum illud jus, quod habuit in Juliacensi, Clivensi, & Bergensi vacuis Ducatibus, & adjunctis Comitatus: propter amplissimam illam concessionem FRIDERICI III. Imp. A. C. 1483. Gratii Styrorum per modum gratiæ factam abavo suo ALBERTO Animoso Duci Saxonie, toti que ipsius domui: contemplatione maximorum meritorum: utpote qui ab ipso in auxilium vocatus contra MATTHIAM Regem Hungariæ, omnes res suas posthabuit: ut dignitatem Imperii & nomen Austriacum,

Justitia.

”
”
”

”
”
”

3. 50.

152.

1483.

C 3

windica

num.
asi ad.
onem
is ut
magna
reli-
inum
pub-
am:
fidu-
ntia:
digni-
aben-
è pro-
it non
ret:
talem
mpe-
re aut
n red-
rent,
uid de
l faci-
enim
sami-
ad vi-
a suo-
uum
m, au.
n cele-
ate &
erum



T H R E N O L O G I A

1486. 18. Sept. 1495. m. Sept. 1526. 1527. 1544. 13. Maij

vindicaret. Concessionones autem factas in remunerationem meritorum maximorū, meritis præsertim specialiter expressis, omnium esse potentissimas & firmissimas, & transire in vim contractūs, nec posse revocari, indubitati juris est. Hæc FRIDERICI III. Cæsaris donatio, deinceps aliquot vicibus & nominatim anno supra millesimum quadringentesimum, octogesimo sexto, & nonagesimo quinto à MAXIMILIANO I. Imp. est renovata, repetita, & firmissimis clausulis ampliata atq; munita: ut quivis fateri cogatur, unicum fuisse scopum Cæsareæ Majestati, utile harum terrarum dominium in Illustrissimam domum Saxonicam transferre. Sed & in hos ipsos Ducatus & Comitatus vacuos jus domui Saxonicæ competit ob pacta dotalia, inter JOANNEM Electorem Saxonem & JOANNEM Clivensem Moguntiaë facta A. C. 1526 8. Augusti: quæ & rata habuerunt Ordines & Status illarum terrarum: & ab Imp. CAROLO V. anno sesquimillesimo quadragesimo quarto sunt confirmata: quæ & ipsa pacta dotalia, eorumq; confirmationes, reversales, & ratificationes (ut vocant) vim contractūs juris gentium obtinent. Quamvis itaque, ut modò probavimus, justissimam causam in Ducatibus & Comitibus istis haberet CHRISTIANUS Elector: nec deessent, qui oleum camino affunderent, & spe rerum amplissimarum classicum canerent: jus tamen suum armis quærere noluit: sed moderatio- ra consilia secutus, primò omnium fundamenta suæ causæ solidissima per supplicationis viam ad Cæsaream detulit Majestatem: ad quem causæ hujus cognitionem in feudis his majoribus spectare optimè norat. Dehinc ad Ordines & Status istarum provinciarum suos misit legatos: qui eos de suo jure, ex primâ omniumque antiquissimâ majorum suorum investiturâ, & gratiâ Cæsareâ competente, certiores redderent: deque injustis adversæ partis attentatis solenniter protestarentur. Tandem ab ipsâ Cæsarea Majestate Concessionum istarum executionem, Pragæ coràm summa cum observantia petiit. Nec res successu caruit. Siquidem ab Imperatore in vacuis istis Ducatibus &

Comita-



ACADEMIÆ JENENSIS.

Comitatibus, præstito fidelitatis juramento, cum totâ domo Saxonica Illustrissimâ solenniter est investitus V. Cal. Quint. Id. Id. X. investituram istam suadentibus, qui tum Cæsareæ Majestati fuerunt à Consiliis, JOANNE SCHWICHARDO Moguntino, & ERNESTO Coloniensi Archiepiscopis; MAXIMILIANO, FERDINANDO, & LEOPOLDO Austriae Archiducibus; HENRICO JULIO Postulato Episcopo Halberstadensi, Duce Brunsvicensi & Luneburgensi; LUDOVICO Hafsiae Landgravio, & OCTAVIO Vicecomite ALBERTI Austriaci Legato.

1610.

Porro à legum & juris ratione nunquam æquitatem sejungendam esse, sapienter existimavit optimus noster Elector: sed in his interpretandis rectæ rationis moderamen adhibuit: earumque severitatem acerbiolem, pro loco & tempore, & personarum ratione, prudenter mitigavit: & in his omnem ingenii calumniam malitiamque studiosè evitavit. Neque hoc ipsi factu fuit difficile, in tantâ summorum virorum, quos secum habuit, frequentia.

Jam verò in officiis muneribusque distribuendis quàm justus & æquus fuerit, nemini obscurum esse arbitror. Fuit enim hoc præcipuum ejus studium: ut pro dignitate suam cuique tribueret: & optimo cuique honores & magistratus publicos conferret: nec cuiquam eos aut gratiâ elocaret, aut precio divenderet. Quae sane diligentia effecit: ut maximam semper habuerit copiam bonorum ac præstantium virorum: quorum virtutem ad res maximas justitiâ excitavit, beneficiâ auxit, liberalitate confirmavit. Econtra verò improbos & noxios cives, quos Reipublicæ convellendæ & labefactandæ studiosiores animadvertibat, non modò ad Rempublicam & honores non admisit: sed pœnis etiam & suppliciis affecit: & pro ratione cujusque delicti, multa, vinculis, verberibus, capitisque supplicio coërcuit: atque ita omnes injuriæ & malitiæ vias interclusit. Exemplo sit instar omnium NICOLAUS GRELLIUS, quondam aulae Electoralis CHRISTIANI I. Cancellarius: qui cum suis complicibus

Sacra-

n meri-
, omni-
tractus,
II. Cæ-
o supra
magefi-
tita, &
ri cogā-
n terra-
nsferre.
mui Sa-
ctorem
C. 1526
um ter-
quadra-
lia, eo-
vocant)
, ut mo-
mitati-
qui ole-
lassicum
deratio-
usæ soli-
estatem:
bus spe-
provin-
nâ omni-
& gratiâ
ustis ad-
ndem ab
tionem.
succesu
atibus &
Comita-

T H R E N O L O G I A

1601.

3. Reg. 2.

4. Reg. 11.

Rom. 13.

Fides.

Observan-
tia. 54. 81.

Sacramentariis etsi non tam apertè religionem petierat, quibusdam tamen quasi cuniculis oppugnarat: & identidem illustre & speciosum Principis nomen prætexerat: eos denique, conatibus suis qui resisterent, sedibus suis convulsos vel eiecerat, vel in existimationis & fortunarum discrimen adduxerat: quem idcirco noster Elector, ceu pacis & quietis publicæ turbatorem ab ipso Imperatore damnatum, secundum legum præscripta, in ipso regni sui limine ad meritum rapuit supplicium VII. Id. Octob. anno supra millesimum sexcentesium primo: æmulatus in hoc SALOMONEM & JOAM, Reges Judaicos laudatissimos: quorum ille Jocabum Davidis patris sui polemarchum, hic aviam suam Athaliam, quæ regio sanguine manus suas commacularat, itidem in regni limine obtruncavit. *Non enim magistratus*, teste Apostolo, *frustrà gerit gladium*: utpote qui DEI minister est ad facinorosorum & sceleratorum vindictam. Unde etiam columnæ lapideæ, eo loco erectæ, ubi Crellius capitis supplicio est affectus, symbolum illud suum, A DEO, PRO JUSTITIA, insculpi voluit.

Quid ego fidem ejus probatam, & firmam dictorum conventorumque constantiam ac veritatem prædicem? quâ virtute nulla alia pulcrior, aut hominis natura est convenientior: quam qui è vitâ hominum tollit, is Solem è mundo tollit. Nulla in ipso fuit simulatio, nulla fraus, nulla perfidia: mores ejus aperti & candidi: oratio simplex & verax: animus fidelis & ingenuus: adeò ut fronte & vultu, quid vellet quidque sentiret, apertè ostenderet atque exprimeret.

Imperatorem RUDOLPHUM per omnem vitam instar parentis coluit: quem non modò in bellis Turcicis auri multis tonnis juvit, multisque bronteis & tormentis, cum omni reliquo apparatu: sed & iis è difficultatibus, quibus jam senex implicari cœperat, (ut Sole jam occidente fieri assolet) exsolvere totis viribus, non sine amicorum suspicionibus, non sine adversariorum odiis, conatus est, ut faceret id, quod altero suo

symbolo

ACADEMIE JENENSIS.

symbolo prædicabat : TIME DEUM, HONORA CÆSAREM.

Discordiam, quâ magnas res citò dilabi vulgò notum est, noster hic Princeps non modò ipse fugit: sed & inter vicinos, vel alios Imperii Ordines & Principes gliscentem, ut commodè & subitò sopiret, fategit: ut de ipso dici longè rectissimè possit illud, quod de Cæsare ait Cicero: Ipsius consilia semper pacis & togæ socia, non belli & armorum, fuisse. Hinc non solùm Pragæ fraternum illud dissidium inter Cæsarem & Matthiam Regem, quantum in se, si non prorsus sedavit, at sopivit: verùm etiam cum Ate infernalis, ob Juliensem & conjunctos Ducatus atque Comitatus vacuos, Illustrissimas domos Saxoniam & Brandenburgicam in se mutuò armaret: moderatiora secutus consilia, cognatis cum Principibus amicè transigere maluit: quàm ad arma prosilire, & cum jucundo hostium spectaculo Germaniam innocenti sanguine respergere. O quàm rarum in exulcerato isto & contentioso seculo studium! ô quàm magnum in tanto Principe! ô quàm posteritatis memoria & celebratione dignissimum! Etsi autem pacifica ista transactio, superiori anno Colonia tentata, successu caruit: Interboci tamen non ita pridem, nempe XXI. Martii die, cum summo bonorum omnium applausu atque congratulatione, ad optatum exitum est perducta: atque ita Illustrissima domus Saxonica certis conditionibus in terrarum istarum possessionem simul recepta, usq; ad ratificationem Cæsareæ Majestatis: salutaria ista consilia prudenter suadentibus, & feliciter promoventibus, CHRISTIANO Marchione Brandenburgico, MAURICIO atque LUDOVICO Hassiæ Landgraviis. Non igitur venerabimur beati Electoris nostri memoriam? qui per omnem vitam id egit, ut cruentos à Germaniâ gladios averteret: ut magnorum Regum atque Principum iræ evanescerent: ut optata pax & quies secura floreret. Equidem hoc non in postremâ sapientiæ ipsius parte collocandum censeo: cum eadem sint partes pacis, quæ ipsius

Pacis studium.

1608.

1610.

1611.

D

sapien-

uibus
stre &
atibus
in ex-
dcirco
b ipso
n ipso
Octob.
in hoc
: quo-
am su-
clarat,
s, teste
est ad
n colu-
est af-
TIA,
m con-
virtu-
tior.:
ollit.
mores
fidelis
ue sen-
nstar
multis
ni reli-
nex im-
solvere
ne ad-
ero suo
ymbolo



T H R E N O L O G I A

sapientia: adeò ut operosius sit aliquantò, Principem pacificum esse quàm bellicosum. Quò enim quisque ratione magis & consilio destituitur: eò ferociorem eum moribus, & ad pacem turbendam procliviorum esse consentaneum est: at pacis amator & pacificator non facilè quisquam reperitur, qui non idem sit vir sapiens & cordatus. Quocirca non minorem ipse togatus utilitatem attulit Reipublicæ: quàm si bella maxima conficisset: & militaris fortitudinis laudem sibi comparasset.

Beneficentia & Liberalitas.

Cæterùm quàm benignus & liberalis in quosvis fuerit: testantur cum beneficentiæ ipsius documenta illustria plurima: tum ministrorum ipsius grata & perpetua memoria prædicat, quorum ipse operam & fidem liberaliter remuneratus est: tum literatorum quoque hominum præclara ingenii monumenta & grata præconia loquuntur: quos ipse largissimâ manu, quoad vixit, fovit atque sustentavit: & amplissimis muneribus atque præmiis perpetuò cohonestavit: de quibus brevitate studio plura hoc loco dicere supersedeo.

Quamobrem cum tot & tantæ virtutes in hoc Principe effulserint: quis magnoperè miretur, si tam carus suis, tam acceptus vicinis, tam gratus exteris, tam gratiosus omnibus fuerit: si in hunc unum totius patriæ, tot Regum, Principum, populorum, orbis denique propemodùm universi, studia & officia, summâ cum benevolentia & conspiratione animi consenserint, vel planè potiùs conjurarint. Quod certè ut maximum virtutis documentum, ita stabilissimum in omni fortunâ Principibus firmamentum atque præsidium esse existimo.

Vestra admurmuratio facit, AUDITORES, ut cognoscere meliùs videamini, quantæ & quàm multæ in CHRISTIANO II. nostro Electore virtutes fuerint; quàm ego rudi & indisertâ oratione vobis demonstrare possim. Quamobrem ut recordationem virtutum harum præclarissimarum, quas in hoc

tanto

tanto Principe agnoscitis & veneramini, vobis gratam & jucundam accidere arbitror: ita planè non dubito, peracerbam vobis & perluctuosam esse præmaturæ ipsius mortis memoriam: quæ quasi morsu quodam dolorem molestiamque refricat. Quomodo enim ea acerba & molesta non sit? quandoquidem cum amissimus Principem ac heroa: qui non modò summâ in DEUM pietate fuit: verùm etiam omni laude sapientiæ, justitiæ, concordia, aliarumque virtutum floruit: pater patriæ, patronus Ecclesiæ, nutritius scholarum, tutor Reipublicæ: cujus profectò morte quanta salutis libertatisque spes præclusa sit, reformidat animus dicere. Verùm enimverò cum sit omnibus definita mors, & tanquam legitimum peccati stipendium inevitabili DEI decreto hominibus proposita: cumque sit eadem laborum finis atque miseriarum; & si piè sanctèque obeatur, initium vitæ melioris: quid est, quòd ipsi jam omnibus malis in his terris perfuncto cœlestem illam & divinam felicitatem in cœlo invidemus? ac dolori nimis indulgendo, voluntati divinæ repugnemus? præsertim cum minimè dubitare possimus, ipsum fragili hoc corpore exutum, vitam agere beatam cum CHRISTO: quem summâ animi veneratione in vitâ coluit, & ad extremum usq; halitum constanti fide est professus. Quod satis indicat placida ejus mors, vitæ optimè sanctèque actæ consentanea: quippe quem somnus excepit cum requie: requies cum securitate: securitas cum æternitate: qualem vitæ finem atque exitum D. Augustinus sibi quotidie exoptare fuit solitus. Quod profectò summum est bonum, maximeque homini expetendum: in quo summa & perpetua est felicitas.

Quod reliquum est, AUD. oremus DEUM Optimum, & conjunctis animis votisque sedulò prece-
mur; ut pios Reges & Principes, & egregios Rerum-
publicarum gubernatores, religionis sacrosanctæ Mu-
sarumque custodes atque patronos quàm plurimos,

Mors.

in tantis mundi fluctibus ac procellis, in posterum quoque excitet: & imprimis salvos & incolumes præstet, salutaribusque consiliis instruat nostros Principes Illustrissimos, Dn. JOHANNEM GEORGIUM, Sacri Romani Imperii Archimarschallum & Electorem serenissimum, Dn. JOHANNEM ERNESTUM Rectorem nostrum Magnificentissimum, cæterosque Duces Saxoniae, Juliae, Cliviae & Bergæ, &c. Patres patriæ optimos, Musarumque Evergetas munificentissimos: qui pari virtute & felicitate salutem Ecclesiæ tueantur: & religionem atque justitiam omnesque bonas artes nobis quam diutissimè florentes conservent: ut, cum tot sanctos & heroicos Principes nobis tam alieno & periculoso tempore eripi quotidie (proh dolor!) cernimus; minùs tamen sentiamus, quantum nobis præsidii cum his cripiatur: si ab iis ortos Principes laudatissimorum suorum majorum insistere vestigiis, iisdemque itineribus ad virtutem & religionem contendere conspiciamus: qui in vero veri DEI cultu non ipsi tantùm se suosque subditos contineant: verùm etiam curam illius & propagationem, rerum omnium sibi primam & postremam putent:

quò & sua DEO perpetuò constet gloria, & salus Ecclesiæ, & dignitas Reipublicæ.

D I X I,

In

P A R O D I Æ

*In beatum EJUSDEM
obitum*

PARODIA HORATIANA I.

Ex lib. 4. Carm. Od. 3.



*Mem tu, CHRISTE, poli DUCEM
CHRISTIANUM superâ in sede locasti; eum
Deinceps non onus ullius
Labis triste premet: non Stygius lupus*

*E dextrâ rapiet tuâ
Salvatum: neque lex aspera, laureâ
Ornatum athereâ, tuis
Quod jussis minùs (heu!) paruit omnibus,
Proscribet Stygiis rogis:
Sed quæ regna poli jubila personant,
Obtutusq; DEI Optimi,
Ejus perpete cor letitiâ imbuent.
Jamdudum in meritum tuum
Hunc invicta Fides inter amabiles
Divorum posuit choros:
Sorti jamq; minùs subditur improba.
O solaminis enthei
Gustum suppeditas qui sitientibus;
O cæli quoque gaudia
Donature, tibi si libeat, malis:
Totum muneris hoc tui est,
Quòd lati fruimur nectare cœlitum
Cives sedis Olympicæ:
Quòd sanctè morimur (nam morimur) tuum est.*

erum
s præ-
rinci-
RGI-
m &
ER-
ntissi-
viæ &
aque
& fe-
m at-
quàm
nctos
ericu-
imus;
æsidii
datif-
, iis
con-
I cul-
cant:
erum
:
In



P A R O D I Æ.

P A R O D I A II.

Ex lib. 3. Ode 9.

D I A L O G U S I.

C H R I S T I A N I II. Electoris &
R E L I G I O N I S.

CHR.



Onec vita mihi fuit,
Nec quidquam sapuit nectare dulcius
Cœlestis mihi dogmatis:
Perfarum vigui Rege beator.

REL.

*Donec non magis hereses
Arsisti; neque erant falsa sophismata
CALVI grata tibi gregis:
In templis vigeo (en!) Sole serenior.*

CHR.

Me nunc aula DE I tenet,
Dulces læta modos jubilaque insonans:
Præ quâ vivere non velim,
Si vitam tribuat JOVA recipocam.

REL.

*Me torret face mutuâ
Germanus tuus ille Enifer Imperi;
Quem carum ex animo colam,
Dum parcent anima Fata superstiti.*

CHR.

Quid, si vita redit prior,
Diductosque jugo cogit aheneo?
Si CALVA excutitur cohors,
Cœlestique patet janua dogmati?

REL.

*Hoc dum nectare dulcius;
Ista infensa DEO est maximo, & horridâ
Quavis peste nocentior:
Mecum hic vivere amet: JOVAE obeat libens.*

DIALO-



P A R O D I Æ

D I A L O G U S II.

CHRISTIANI II. Electoris & P A C I S.

Donec res tenui imperi:
Nec quisquam furis percitus impiis
Vasana arma mihi intulit:

CHR.

J E S S A E O vigui Rege quietior.

PAX.

Donec non Erin improbam
Arfisti, neque eram postposita horridæ
Bellonæ, armigeræ deæ:

AUGUSTO ecce viges Cæsare clarior.

CHR.

Me, PAX alma, tuus regit
Indefessus amor: Juliaco solo
Privari ut potius velim,

PAX.

Si Bellona ferox arma mihi paret.
Me torret face mutuâ,

Dux CHRISTIANE, salus & populi & tua:

Pro quo non renuam mori,
Ut parcant Domui Fata tuæ inclytæ.

CHR.

Quid, si blanda foves Dea,
Discordesq; iterum concilias Domos?

Si fax excutitur Papa,
Rejectisq; patet J U L I A jam meis?

PAX.

Tu nunc fidere pulcrior
Fulges: hi teneant Juliacum solum,

Atque in pace regant piè:
Mecum vivere ament denique, mecum ovent.

DIALO-

DIALO-

DIALOGUS III.
RELIGIONIS & PACIS.

REL.



Erris donec erat super
CHRISTIANUS; sacra qui dogmata strenuus
Verbi protegeret DEI:

Fulgebam nitido clarior Hespero,

PAX.

*Donec non magis horridam
Ille ardebat Erin: Mars nec erat ferus
Præ me, Mars Deus armiger:
Romanâ vigui clarior Iliâ.*

REL.

At nunc regia cum poli, &
Tempe lata locis Elysiis tenent:
Præ queis vivere non cupit,
Si vitam tribuat JOVA reciprocam.

PAX.

*Me torret face blandulâ
JOHANNES, mea spes, ille GEORGIUS;
Pro quo bus patiar mori,
Si parcent anima Fata superstiti.*

REL.

Quid si Astræa redux polo,
Jungit semideum pectora Principum?
Si Mars excutitur solo,
Et rejecta cohors prava polo exulat?

PAX.

*Noster sidere pulcrior
CHRISTIANUS nitet: hos improbus obruat
Pluto, Mart e cruentior:
Nobiscum ille canat júbila jugiter.*

AD



Ad eundem,

DE PACIFICA TRANSACTIONE
 Illustrissimæ domus SAXONICÆ cum
 Electorali Domo BRANDEBURGICA,
 & Palatinâ NEOBURGICA
 ACADEMIÆ SALANÆ GRATULATIO.

SERENISSIMUS PRINCEPS
 CHRISTIANUS SECUNDUS
 ELECTOR SAXONIÆ, LANDGRAVIUS
 TURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ,
 & Burggravius Magdeburgi,

diva & augusta Deis

DUX JULIACI, CLIVIÆ, BERGÆ, COMES à
 MARGH & RAVENSBURG, DOMINUS
 RAVENSTEINI,

Christiani gregis magnus & dius Princeps, servans suos.



Patriæ celsum sidus, & optime
 CHRISTIANE Princeps, eia age, dum tuas
 Laudesq; virtutesq; tento,
 Sis bonus & facilis canenti.

Unde sed inceptem? non sat imaginum

Antiquiorum te recreat decus:

Quamvis tibi olim hoc expedivit

Ad generosam imitationem.

Laus cumulo magno nominis enthei "

Accessionem propria laudibus "

Adfert avitis: anteire "

Usque adeo tua jam parentes "

E

Magna-

AD

ACADEMIE SALANÆ

Magnanimos virtus certat, & assequi
Laude æviternam perpete adorem.

Tu nempe Princeps sanctitate,
Justitiæque, togæque magnus:
Tu bonus, & præstans es sapientiâ,
Bilance justâ singula pensitans:

Ecclesiarum tu patronus,
Salvus & Aonia corona

Portus es: & constans salvifici thymi

Assertor, altor, tutor amabilis:

Tu fixa cælo corda gestas

Magna: tibi Cynosura vitæ

Est pietas, aliè corde sedens tuo

Fundata, cunctis nota venè: hinc tua

Virtus scaturit multa, tanquam

Vennula aqua saliens perennis.

Hinc amat, observat, suspicit & colit

Te mente totâ gens tibi subdita:

Et sancta pro te vota fundit;

Te patria vocitans parentem.

Tyrigeta, fortesq; (aspice!) Saxones,

Mysiq;, latinon modo pristinam

SEPTENVIRATÛS dignitatem,

Sceptraq; avita tibi & paterna,

Romulei ò Princeps Ensifer Imperi,

Congratulantur: tu quoque nunc clues

Audisq;, totâ cum Domo DUX

JULIACI, CLIVIAE, atq; BERGAE,

Auspiciis

GRATULATIO.

*Auspiciis divi Caesaris: ET COMES
 A MARGH, RAVENSBURG: & DOMINUS simul
 Nunc es RAVENSTEINI celebris.
 Tu GREGIS es quoque CHRISTIANI,
 O pie Dux, PRINCEPS DÛS; & optimus
 Pacis sequester, classica Martia
 Et civicum exosus cruorem:
 MAGNUS in orbe, TUO SÛ SERVANS.
 Sancta Fides hinc te, Justitia soror,
 Et Veritas, Paxque, & Sapientia
 Stipant catervatim: choris hinc
 Pieridum es Themidiq; carus.
 Maeste age virtute hac, maeste animo tuo,
 CHRISTIANE, felix o ter & amplius!
 Cui caelitus diis tam secundis
 Tantaq; totq; bona obligere.*

P. P. Jenæ prid. Cal. April.

IN EANDEM.

JUSTITIÆ germana FIDES, & PACIS alumna,
 Principum amicitias duro adamante ligat:
 Sceptraque semideum vivace coronat honore:
 Et terras dulci prosperitate beat.
 Eja igitur PRINCEPS, fidei memor esto tenaxque:
 Sic voto eveniant prospera cuncta tuo.

E 2

PARO.

uspiciis





PARODIA HORATIANA

Ex lib. 1. Ode 35.

AD IOVAM OPT. MAX.

*Pro felici Electura auspicio & incolumitate
Serenissimi Principis*

D. JOHANNIS GEORGII

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, Bergae &c.

S. Rom. Imperii Septemviri & Archi-
marschalli.



*Iova, celsum qui colis aethera,
Praesens amantes aligeris tui*

Regestueri, hostesq; diris

Tollere funeribus superbos:

Te pauper ambit sollicita prece

Coetus piorum: te Dominum poli,

Quicumque vita sanctioris

Tendit iter melius, laceffit:

Te Saxo, Francus, Tyrigeta, Mysi,

Ducesq; cognati, enthea pectora,

Te Mater, Augustusq; Frater,

Et populus veneratur omnis:

Hanc



Hanc ut potenti numine fulcias
 Stantem columnam: neupopulus frequens
 Ad arma cessantes ad arma
 Concitet, imperiumq; frangat.
 Hoc semper anteit Justitia aurea,
 Æquos bilances & gladium manu
 Gestans tenaci: nec sacrata
 Legis abest positæq; norma.
 Hanc Pax, & albo cana Fides colit
 Velata panno: nec comitem abnegat
 Sincera, fuciq; omnis expers
 Relligio, sata magno Olympo.
 At furta, cades, seditio, scelus
 Pœnis premuntur: diffugiunt procul
 Armata vis, perjura lingua, &
 Fraus violenta, doliq; tecti.
 Eja ergo regnum hoc, JOVA ter Optime,
 Nostrumq; serves incolumem DUCEM:
 Justis bonus, sevis timendus
 Hostibus ille sit, impiisq;.

E 3


Sed

itate
GII
&c.

r,

Hanc





Sed & famem agram, pestiferam & luem
 Averte: motus pelleq; civicos,
 Causasq; bellorum, gravesq;
 Principum amicitias & arma.
 Eheu! cicatricum & sceleris pudet
 Noxaq;. Quid nos dura refugimus
 Aetas? quid intactum nefasti
 Liquimus? ab bone Jovæ parce,
 Ab parce: nostroq; ablue sanguine
 Nati reatus: atque utinam minax
 Vindexq; dstringas in hostes
 Papicolas Arabasq; ferrum.

Elias Reusnerus Leorinus,
 Historiarum & Poëticae in Sa-
 lanâ Prof. Pub. humilimæ con-
 gratulationis ergò F.

Pro

Pro eodem.

VOTUM ANAGRAM-
MATICUM.

JOANNES GEORGIUS
DUX SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET
BERGÆ, ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHAL-
LUS ET ELECTOR, LANDGRAVIUS THURINGIÆ,
MARCHIO MISNIÆ, BURGGRAVIUS MAGDE-
BURGENSIS, COMES A MARCCA ET
RAVENSPURGO, AC DOMINUS
RAVENSTENIL.

IN rebus dubiis JANO succurre GEORGO
Adjutrice tuâ, maxime JOVA, manu.
Hic gregis & legis vigilans protector, in armis
Egregius, veræ religionis amans.
Ex miserâ vitâ (sacra audis anchora Numen,)
Duc semel ah charum in regna beata poli.

E. R. L.

(abundant in rebus
+ e i)



Pro

Handwritten blue ink scribbles at the top of the page.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

Additional faint, mirrored text from the reverse side of the page.

Faint mirrored text, possibly initials or a signature, from the reverse side.



Handwritten blue ink scribbles at the bottom of the page.



TO
K
R
E
S
T
A
M
M
B
L
I
S
T
I
C
H

ULB Halle 3
004 801 27X


VDT7





